

**Genuinum esse
FLAVII JOSEPHI DE JACOBO, FRATRE JESU,
testimonium.**

Ante hos sex annos quum similem scribendi sive opportunitatem sive necessitatem nactus veterrimorum scriptorum, qui praeter apostolos essent, testimonia ad Jacobi, fratris Domini, historiam pertinentia ita pertractarem, ut hoc maxime eluceret, *vetustissimam ecclesiae christianae famam Jacobum, fratrem Domini, et verum Christi fratrem h. e. Mariae Virginis filium non fuisse prope voce declarare*¹⁾ et a filio Alphaei non separandum Dominique patrualem, non conso-

¹⁾ Quam id verum sit, quamque non temere praesumptis quibusdam praeiudicatisve opinionibus ducti neglecta ipsarum rerum veritate veteres ecclesiae patres Josephi ex Maria, matre Jesu, filios reiecerint, luculenter docetur sancti Basilii exemplo et testimonio, in quod postea incidi, dicentis: quamquam contraria opinio pietatis doctrinae nihil detrimenti afferat, tamen famae Christi amicorum auctoritatem facere, ut Dei genitrix virgo esse nunquam desiisse putanda sit. Dicit enim Homil. in Christi generat. Τοῦτο δὲ (Matth. 1, 25.) ἤδη ὑπόνοιον παρέχει τισὶν ὡς μετὰ τὸ καθαρῶς ὑπηρετήσασθαι τῇ γεννήσει τοῦ κυρίου τῇ ἐπιτελεσθείσῃ διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου τὰ νενομισμένα τοῦ γάμου ἔργα μὴ ἀπαρνησαμένης τῆς Μαρίας. Ἡμεῖς δὲ, εἰ καὶ μηδὲν τῶ τῆς εὐσεβείας παραλυμνίεται λόγῳ, (μέχρι γὰρ τῆς κατὰ τὴν οἰκονομίαν ὑπηρεσίας ἀναγκαῖα ἢ παρθενία, τὸ δ' ἐφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον τῶ λόγῳ τοῦ μυστηρίου) ὅμως διὰ τὸ μὴ καταδέχεσθαι τῶν φιλοχρίστων τὴν ἀκοήν, ὅτι ποτὲ ἐπαύσατο εἶναι παρθένος ἢ θεοτόκος, ἐκείνας ἡγούμεθα τὰς μαρτυρίας αὐτάρκειαι κ. τ. λ. Quo quidem testimonio nihil cogitari potest quod magis confirmet id, quod in superiore disputatione (praeposita programmati anni 1857/58; p. 1.) scripsimus, omnem hanc rem, sive dogmatica ab initio fuisset sive non fuisset, certe eandem principio in historiae fide versatam esse.

brinum habendum esse aut certum efficere aut maxime probabile: Flavii quoque Josephi leviter mihi quasi in transitu mentio facienda fuit, quia fuerunt, qui ex eo, quod bonus ille homo Jacobum simpliciter fratrem Jesu appellat, verum eum Christi fratrem fuisse effici vellent. Itaque tum monui, Josephi testimonium, quem admodum gravissimum esset in Jacobi mortis tempore finitius describendo, ita in eius cognomine nullius esse momenti, ob eamque rem de loci, quem corruptum quidam iudicant, fide et integritate disputare non putavi attinere. Quod igitur tum omisi, id nunc faciam, atque eo libentius faciam, quod, quoniam admodum brevis erit ea disputatio, et ipse non nimis a praecipuo muneris officio, quod nunc quum maxime urget, avocabor et eorum placaturum me spero animos vel gratiam conciliaturum, qui habebant, cur superioris meae disputationis iustum modum excedentis longitudini succenserent.

Locus ipse, qui venit in quaestionem, reperitur in Josephi Antiquitatum Judaicarum libro vigesimo estque hic:

Flav. Josephi Antiqq. 20, 9, 1. Ὁ δὲ νεώτερος Ἀνανός, ὃν τὴν ἀρχιερωσύνην ἔφαμεν παρρηληθέναι, θρασὺς ἦν τὸν τρόπον καὶ τολμητῆς διαφερόντως αἴρεσιν δὲ μετῆι τὴν Σαδδουκαίων, οἵπερ εἰσὶ περὶ τὰς κρίσεις ὡμοὶ παρὰ πάντας τοὺς Ἰουδαίους, καθὼς ἤδη δεδηλώκαμεν. Ἄτε δὴ οὖν τοιοῦτος ὢν ὁ Ἀνανός, νομίσας ἔχειν καιρὸν ἐπιτήδειον διὰ τὸ τεθνάναι μὲν Φῆστον, Ἀλβῖνον δὲ ἔτι κατὰ τὴν ὁδὸν ὑπάρχειν, καθίζει συνέδριον κριτῶν καὶ παραγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτοῦ, καὶ τινες ἑτέρους, ὡς παρανομησάντων κατηγορίαν ποιησάμενος παρέδωκε λευσθησομένους. Ὅσοι δὲ ἐδόκουν ἐπιεικέστατοι τῶν κατὰ τὴν πόλιν εἶναι καὶ τὰ περὶ τοὺς νόμους ἀκριβεῖς, βραβέως ἤνεγκαν ἐπὶ τούτῳ καὶ πέμπουσιν πρὸς τὸν βασιλέα κρύφα παρακαλοῦντες αὐτὸν ἐπιστεῖλαι τῷ Ἀνάτῳ, μηκέτι τοιαῦτα πράσσειν μηδὲ γὰρ τὸ πρῶτον ὀρθῶς αὐτὸν πεποιηθέναι τινὲς δὲ αὐτῶν καὶ τὸν Ἀλβῖνον ὑπαντάζουσιν ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας ὁδοιποροῦντα καὶ διδάσκουσιν, ὡς οὐκ ἔξόν ἦν Ἀνάτῳ χωρὶς τῆς ἐκείνου γνώμης καθίσει συνέδριον. Ἀλβῖνος δὲ πεισθεὶς τοῖς λεγομένοις γράφει μετ' ὀργῆς τῷ Ἀνάτῳ, λήψεσθαι παρ' αὐτοῦ δίκας ἀπειλῶν.

Καὶ ὁ βασιλεὺς Ἀγρίππας διὰ τοῦτο τὴν ἀρχιερωσύνην ἀφελόμενος αὐτὸν ἄρξαντα μῆνας τρεῖς Ἰησοῦν τὸν τοῦ Δαμναίου κατέστησεν.

Hunc igitur locum Crednerus post alios quosdam corruptum esse arbitrat¹⁾ verba τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ, καὶ et paulo post verbum ἐτέρους Josephi esse negavit. Atque argumenta, quae attulit Crednerus, quamquam, ut saepe fit in eo homine, eiusmodi sunt, ut quam nullius sint momenti, ipsa videantur declarare: quoniam tamen a nonnullis multum iis ponderis tribuitur, diligentius examinanda sunt.

Dicit igitur fere haec: Josephum illa verba non scripsisse eo doceri, quod is neque tam graviter verba τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ ante ipsum nomen (Ἰάκωβον) positurus fuerit, neque Jacobum ἀδελφὸν Ἰησοῦ κ.τ.λ., sed Ἰάκωβον τὸν δίκαιον nominaturus, praesertim quum nihil fere de Jesu, qui vocaretur Christus, ipse narraverit. Itaque a christiano homine ea Josephi

¹⁾ Credner: Einleitung in das Neue Testament p. 581 sq. Audi ipsa eius verba: Schon ältere Kritiker, namentlich Joh. Clericus (art. crit. P. III. S. 1. c. 12. §. 12) und der gerade bei solcher Gelegenheit nicht überreichte Erdner (Supplem. III. c. 16. S. 5. vergl. Routh rel. I. p. 217.) haben die Stelle für verdächtig und die eingeklammerten Worte für unächt gehalten. Und dieß mit vollkommenstem Rechte. Denn 1. Josephus, der Jude, hätte das τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τ. λεγ. χρ. gar nicht so nachdrucksvoll voranstellen können, sondern vielmehr Ἰάκωβον. — 2. er würde ihn eher Ἰάκωβον τὸν δίκαιον haben nennen müssen, zumal da er seine Leser über Ἰησοῦν τὸν λεγομένον χρ. so gut wie ganz im Dunkel gelassen hat, diesen folglich die ganze breite Beziehung (Bezeichnung?) nichts nutzte. 3. Dies deutet um so mehr auf einen christlichen Interpolator hin, als die Christen allein den Josephus durch Abschriften vervielfältigt haben. 4. Die Stelle wird zuerst citirt von Eusebius h. e. 2, 23. neben einer andern, den Jacobus betreffenden, die schon früher von Origenes (contra Celsum 1, 47; 2, 13. ibique de la Rue) citirt wird, und sich jetzt nirgends mehr im Josephus findet (S. Haverkamp ad Jos. antiq. 20, 9. 1.), während Clemens von Al. in seiner Angabe vom Tod des Jakobus sich lediglich an Heresipp hält. Daraus geht hervor, daß die Christen in der That Aussagen über Jakobus dem Josephus unterzulegen

verbis inserta esse putat Crednerus atque eo verisimilius id esse existimat, quod et soli christiani Josephi libros descripserint et voluisse eos quidem aliqua de Jacobo testimonia Josepho tribuere certum sit ac manifestum; id enim ex eo apparere, quod et ab Origene et ab Eusebio Josephi quaedam de Jacobo verba laudentur, quae in eius libris non existent. Denique accedere dicit Crednerus Hegesippi ab iis Josephi verbis dissensionem.

Haec Crednerus. Ego vero ut libere dicam id, quod sentio, si quis talibus ratiunculis indulgere volet, is vereor ne mox multa et magna veterum scriptorum volumina ad compendia contulerit. Nam ut ab hoc ultimo argumento ordiar: quod de Hegesippi a Josepho dissensione dicitur, id longissime a veritate abest. Hegesippum enim, dummodo recte intelligatur, praesertim si pauca quaedam ad rem ipsam non multum facientia eum fabulatum esse censueris, sed etiam

versucht haben, die dem Clem. v. M. noch fremd gewesen sein dürften. Vergl. auch die ähnlich interpolirte Stelle Joseph. ant. 18, 3, 3. und dazu Gieseler R. G. I. S. 21. — Dazu kommt 5. der Widerspruch der Angaben mit Hegesipp, in Bezug auf den Tod des Jakobus, und 6. die falsche Bestimmung des Todesjahres, welche nach Josephus um das Jahr 63, nach Hegesipp um das Jahr 69 fallen würde. Nun setzen aber die Clementinen (Cotelerius: patres ap. I. p. 611. u. 616.) in einem Briefe, der zum Verständniß der Homilien nöthig ist (vergl. hom. 1, 20. 2, 1. mit Cotel. l. 1. p. 611.) den Tod des Petrus früher an, als den des Jakobus, und ebenso die Clementina epit. de gestis P. c. 147. bei Cot. I. p. 798., wie denn die ganze alte Pseudo-Clementinische Literatur von der Ansicht ausgeht, daß Petrus früher gestorben sei als Jakobus, was nur bei der Angabe des Hegesipp möglich ist. Es muß folglich ein Christ die Stelle bei Josephus 20, 9. zu einer Interpolation am geeignetsten gefunden und benutzt haben, und statt, wie bisher den Hegesipp zu lästern, was besonders von Stroth und neuerdings von Schultheß in unzeitigem Eifer geschehen ist, und das Zeugniß des Josephus, weil es unserer Denkweise mehr zusagt, hervorzuheben, muß das Zeugniß des Hegesipp allen andern an die Spitze gestellt, dagegen das sogenannte Zeugniß des Josephus als unächt und ohne Wahrheit verworfen werden.

si non censueris, Josepho saltem non repugnare paulo post viderimus. Neque verius alterum illud dictum est, a christianis hominibus Josephum alienis verbis adulteratum videri atque id ipsum eos egisse, ut ei aliqua de Jacobo testimonia attribuerent. Non quaeram hoc loco de nobilissimo illo Flaviano de Jesu Christo testimonio, quod est Ant. 18, 3, 3. De quo quid sit statuendum, quamquam mihi ne Eichstadii quidem acerrimae et quodammodo vim afferentes impugnationes de eius *voθείz* persuaserunt, nunc in medio relinquam, quia et longa disputatione opus esset et ad nostram rem non ita necessaria. Nam quidquid de illo testimonio iudicabitur, id quidem certum est, nec semper quod factum sit in una re, transferri posse in multas nec continuo Josephi libros, si uno loco mutati coarquantur, crebris locis inculcatos esse. Atque eo minus etiamsi illud de Jesu Christo testimonium spurium esse largiar, idcirco eam similitudinem in nostrum locum transferre debebis, quod huius de Jacobo testimonii et illius de Jesu Christo, si quid video, alia est ratio. Nam interpolatum Flavianum de Jesu Christo testimonium esse praefracte nego: aut genuinus est totus locus et fere sic, ut hodie legitur, a Josepho profectus aut totus suppositus et expulsis iis, quae Josephus inique et contumeliose de Christo dixerat, a christiano homine insertus.¹⁾ Aliud autem est, mihi crede, cum Eichstadio aliisque iudicare, christianos expunxisse, quae Josephus inique et contemptim et contumeliose de Jesu Christo dixisset, in eorumque locum totidem alios versus substituisse: aliud putare christianos librarios consulto talia verba, qualia sunt illa de Jacobo, quae quamvis gravia sint nobis ad definiendum, quo tempore Jacobus mortem obierit, tamen antiquis christianis vix quidquam ad ullam rem probandam momenti attulerint, inseruisse. Illic in mutandis Josephi verbis, si modo consulto mutata sunt, certam rationem secuti sunt christiani; expellendam enim censebant foedam quan-

¹⁾ Vide Eichstaedt: Flaviani de Jesu Christo testimonii *αἰθεριζ* quo iure nuper rursus defensa sit. Quaestio sexta. (Jena 1841.) p. 19. sqq. Quaestionum sex super Flaviano de Jesu Christo testimonio auctarium quartum p. 19 sq.

dam blasphemiam; hic quoniam „piae fraudis“, quam christianae antiquitatis calumniatores saepe iactant passimque suspicantur, certe in his verbis nullum cernitur indicium, nulla apparet interpolandi causa. Nisi vero furore quodam animi correptos christianos in Josephi libris locum quaesivisse putabimus, cui animi voluptatisque causa testimonium de Jacobo immiscerent. Ex quo intelligitur, ad nostram rem aut nihil aut parum interesse, utrum mutatum illum de Christo Jesu locum censeamus, an non mutatum: magis autem pertinere alterum illud, quod dicitur, quaerere, num studiose et de industria id ipsum egerint christiani, ut Josepho testimonia quaedam de Jacobo attribuerent. Quod qui aiunt, vereor ne quod cupiant verum esse, temere pro certo crediderint. Nam alterum illum locum, qui hodie apud Josephum non invenitur, quo Josephus Hierosolymorum calamitatem ad Jacobi, optimi atque iustissimi viri, supplicium retulisse fertur¹⁾, nisi ex deperdito aliquo Josephi libro depromptum esse mavis, certe erroris opinione, quasi Josephi esset, ab aliquo scriptore transcribi et ex eo ad ceteros, Origenem, Eusebium, manare potuisse facile quis concedet. Origenem quidem illum Josephi locum non consulto finxisse nec omnino fictum fuisse ex eo videtur apparere, quod eam Josephi opinionem propter Jacobi supplicium Hierosolymorum calamitatem evenisse existimantis improbat ac reiicit eiusque rei causam ex Jesu nece repetendam esse dicit. Sed haec utcumque sunt, si largien-

¹⁾ Cf. Origen. c. Cels. I, 47; II, 13; Comment. in Matth. Tom. X, 17. Euseb. h. e. 2, 23. Hieronymus quoque eadem verba respexit Cat. scriptt. 2 et 13; et Suidas s. v. Ἰώσηπος. — Ceterum ne mireris, talia Josephum aut scripsisse aut scripsisse putari potuisse, considera, quod idem Josephus scripsit Antiqq. 18, 5, 2, causam, cur Herodis Antipae exercitus omnis ab Areta, rege Petraeo, caesus ac deletus esset, Judaeos inde duxisse, quod Herodes Joannem Baptistam, optimum virum, supplicio affecisset. Τισὶ δὲ τῶν Ἰουδαίων, inquit, ἐδόκει ὀλωλέναι τὸν Ἡρώδου στρατὸν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ μάλα δικαίως τινυμένον κατὰ ποινὴν Ἰωάννου τοῦ ἐπικαλουμένου Βαπτιστοῦ· κτείνει γὰρ τοῦτον Ἡρώδης, ἀγαθὸν ἄνδρα, κ. τ. λ. pauloque post exposita rei ratione dicit: τοῖς δὲ Ἰουδαίοις, δόξαν ἐπὶ τιμωρίᾳ τῇ ἐκείνου τὸν ὄλεθρον ἐπὶ τῷ στρατεύματι γενέσθαι, τοῦ Θεοῦ κακῶς Ἡρώδη θέλοντος.

dum esset, quod non est largiendum, unum alterumve christianum hominem voluisse Josepho aliqua de Jacobo verba attribuere, idcirco continuo credibile est, ita ea verba in Flavianorum librorum exemplaria irrepsisse, ut nunc ea omnes codices habeant? Quis non miraretur tantam librorum facilitatem ac sedulitatem? Ille quidem alter locus in nullo codice reperitur, hic noster in omnibus¹⁾. Quid multa? ea ipsa re, quod ille alter locus in nullo codice invenitur, si fictum eum censes, non haustum ex aliquo deperdito Josephi libro, planissime conficitur, a christianis librariis Josephi libros non corruptos esse. Quid enim? Utrum putemus, exstitissene Origenis et Eusebii aetate illum locum in iis, qui adhuc manserunt, libris Josephi, an non exstitisse? Utrumcunque putabis, librarii fraude purgabuntur. Si exstitisse censebis, sequitur, ut fraude cognita et abiecta eum expulerint; si non exstitit, fraude decipere nolentes non receperunt. Nam qui tam prudenter ac callide nostro loco Josephum vitiasse putantur, eos aut tam illitteratos fuisse, ut ab Origene Eusebioque laudata verba non cogno-

¹⁾ Hunc omnium codicum consensum noli parvi aestimare. Eichstadius quidem in impugnanda Flaviani de Christo testimonii ἀθετησις non oblitus est ad consentientium codicum vim infringendam aliquam codicum de eo testimonio discrepantiam notare. „Accedit“, inquit, „quod suspectum Flavii testimonium (de Christo) facit ipsa varietas loci, quo in codicibus insertum vel potius inculcatum invenitur.“ (Quaestionum sex super Flaviano de Jesu Christo testimonio auctarium secundum; p. 13.) „In perrara Josephi editione Latina, quae Augusti Vindelicorum a. 1470 f. in lucem emissa, ipsum Fabricium latuit, insertum est non quarto sed octavo capiti libri XVIII Archaeologiae Judaicae. Pariter librarius in codice Petavii opportuniorem testimonio locum quaerens, illud inseruit libro de bello Judaico (Lib. II. c. 9. §. 3.).“ (Flaviani de Jesu Christo testimonii ἀθετησις quo iure nuper rursus defensa sit. Quaestio sexta. p. 17.). Quae Eichstadii verba ad rem quidem non sunt tanti; sed haec duo testantur, primum: a codicum quoque auctoritate aliquam tamen inter nostrum de Jacobo et illud de Jesu testimonium dissimilitudinem esse; tum: sensisse Eichstadium, codicum consensum in Josepho quoque respiciendum esse. — Ceterum Eichstadius nostrum locum genuinum se putare saepius significat.

scerent, aut tam hebetes, ut idoneum iis Josepho inserendis locum non reperirent, quis est, qui sibi persuadeat? Ergo noluerunt christiani Josephi librarii neque haec neque alia aut de quoquam aut certe de Jacobo verba, quae Josephi non essent, eius orationi inserere. Quare non solum id, quod hoc qui nunc agitur loco omnes codices de scriptura consentiunt, sed etiam ille alter locus firmum potest argumentum afferri, quare huius loci scripturam non consulto alienis verbis adulteratam, sed integram credamus.

Verum fac ea quae refellimus argumenta vera esse; statuamus igitur, id quod nullo pacto concedimus, sed fingamus, nonnullos Josephi locos a christianis hominibus corruptos esse, fingamus etiam dissentire Josephi verba cum Hegesippo: hoc quidem apertum est ac manifestum, ea omnia tum demum aliquid ponderis afferre, cur hunc locum integrum non putemus, si primi argumenti partes aliquid valere videantur. Atqui ineptum si quis primum argumentum dixerit, equidem ei non nimium succensebo. Nam ut leviter singula attingam: quod Jacobus non ὁ δίκαιος, sed ὁ ἀδελφὸς Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ appellatus est, si tamen licet cuiusvis rei causam ac rationem curiosius quaerere, potuit id fieri, quia quum Judaeis tum vero iis, ad quos potissimum Josephus libros suos scripsit¹⁾, Graecis Romanisque, aut notior aut satis tamen notus fuit; videlicet frater erat illius Jesu, quem magna quaedam ac praeclara facinora vel Dei vel Satanae beneficio et auxilio aut etiam artium reconditarum penitusque abditarum ope edi-

¹⁾ Eo consilio se libros ἀρχαιολογίας Ἰουδαϊκῆς scripsisse, ut a Graecis Romanisque legerentur, Josephus ipse significat quum eo, quod Graece scripsit, tum vero eo, quod in conclusione librorum dicit, neque Iudaeorum neque alienigenarum quemquam, ne si voluisset quidem, aequè bene res a se pertractatas Graecis — quod nomen haud dubie Graecos et Romanos omnesque tum Graece doctos complectitur — exponere potuisse. Cf. Antiqq. 20, 11, 2: λέγω δὲ θαρσῆσας ἤδη διὰ τὴν τῶν προτεθέντων συντέλειαν, ὅτι μηδεὶς ἄν ἕτερος ἠδυνήθη θελήσας, μήτε Ἰουδαῖος μήτε ἀλλόφυλος, τὴν πραγματείαν ταύτην οὕτως ἀκριβῶς εἰς Ἑλληνας ἐξεργεῖν.

disse Messiamque ac regem se professum esse memoria id temporis tenebant fere omnes. Nec potuit tantum, immo debuit non solum illud fieri sed etiam tam graviter ea designatio et tamquam nota ante ipsum nomen poni propterea, quod Jacobum eam ipsam ob causam in iudicium raptum esse testatur Hegesippus, quia Jesu, qui diceretur Christus, et discipulus et fautor et sectator esset. Quo magis etiam illud omni caret vi, quod contra dicitur, ipsum Josephum pauca de Jesu antea narasse. Nam ut hunc quoque locum plenius absolvam, tanta tum non solum apud Judaeos sed etiam apud Graecos et Romanos Jesus, qui vocabatur Christus, usus est nominis fama ac celebritate, ut Josephus etiam si nihil omnino ipse de eo scripsisset, solam illius nominis commemorationem satis futuram ad designandam pernoscendamque Jacobi causam et disciplinam recte sperare potuerit. Quamquam quid est, cur pauca Josephum antea de Jesu scripsisse iure tibi dicere videaris? Sive enim, quod multi non sine causa credunt, genuina omnino sunt illa, quae hodie apud Josephum de Jesu leguntur (Antiqq. 18, 3, 3.), sive, quod suspicantur alii, spuria et in eorum, quae a Josepho ipso inique et contemptim et contumeliose de Jesu dicta erant, locum supposita — nam quae reliquae sunt de hac re duae sententiae, earum alteri, quae negat Josephum quidquam de Jesu dixisse, adstipulari et viri nominis fama ac celebritas et Flavianorum librorum etiam minutiores res complectentium ambitus ac magnitudo vetat, alteram, quae interpolatum esse additamentisque haud exiguis adauctum locum iam sic sat brevem censet, et ipsa rei ratio damnat et codicum consentientium auctoritas — utramcunque igitur duarum priorum opinionum, quae solae poterunt probabiles videri, amplecti voles: tam multa utique de Jesu Christo antea scripserat Josephus, ut qui ea legerant, ii quum in nostri loci verba τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ inciderunt, quis esset Jesus, qui vocaretur Christus, non potuerint ignorare.

Restat igitur, ut de Josephi cum Hegesippo dissensione dicamus; qua quidem de re supra iam, quid iudicandum videretur, breviter indicavimus, nunc autem, ut magis etiam totius rei ratio illustretur, diligentius videndum est.

Dicit autem Hegesippus postquam Jacobi iustitiam et sanctitatem praedicavit, fere haec: ¹⁾)

„Ob singularem iustitiam cognominatus est Justus et Oblias,“
 „quod latine munimentum populi et iustitiam significat, quemadmodum“
 „Prophetae de eo praedixerunt. Quidam autem ex septem sectis,“
 „quae apud Judaeos erant, de quibus in superioribus libris scripsimus,“
 „interrogarunt eum, quodnam esset ostium Jesu. Quibus ille Jesum“
 „esse Servatorem respondit. His auditis, nonnulli eorum Jesum revera“
 „Christum esse crediderunt. Sectae vero, quas supra diximus, nec“
 „resurrectionem nec futurum Christi adventum, ut unicuique pro meri-“
 „tis mercedem tribuat, credebant. Quotquot vero ex iis crediderunt,“
 „Jacobi opera ac ministerio utique crediderunt. Quum ergo multi“
 „ex ipsis etiam primoribus crederent, tumultuari coeperunt Judaei et“
 „Scribae ac Pharisei: eo iam ventum esse clamantes, ut prope omnis“
 „populus Jesum quasi Christum exspectaret. Itaque in unum congre-“
 „gati Jacobum adeunt hisque eum verbis compellant: Hortamur te,“
 „inquiunt, ut populi errorem comprimas, qui falsam de Jesu opinio-“
 „nem imbibit, perinde quasi Christus esset. Persuade igitur omnibus,“
 „qui festo Paschae die huc conveniunt, ut de Jesu recte sentiant.“
 „Tibi enim omnes fidem habemus; et cum universo populo hoc tibi“
 „testimonium perhibemus, iustissimum te virum esse nec ullum apud“
 „te personarum discrimen valere. Proinde plebi persuade, ne circa“
 „Jesum aberret. Nam et universus populus et nos libenter tibi ob-“
 „temperamus. Ascende igitur in fastigium templi, ut in sublimi loco“

¹⁾ Hegesipp. ap. Euseb. h. e. 2, 23. Dedi interpretationem Valesio-Zimmermannianam (h. e. „latinam Valesii versionem textui suo a Zimmermanno adcommodatam“ Zimmerm. p. VI.), in qua praeter pauca, quae ut corrigerentur, quasi quaedam necessitas postulare videbatur, nihil mutavi.

„positus ab omnibus conspici et exaudiri facile possis. Nam Paschalis“
 „solemnitatis gratia cunctae Judaeorum tribus et ex gentibus non“
 „pauci huc convenerunt. Post haec qui supra dicti sunt Scribae et“
 „Pharisaei quum Jacobum in fastigio templi collocassent, contenta“
 „voce sic eum alloqui coeperunt: O Juste, cui nos omnes fidem“
 „adhibere par est, quandoquidem populus omnis errat, Jesum sectans“
 „crucifixum, doce nos, quod sit ostium Jesu suffixi cruci. Tunc“
 „Jacobus edita voce iis respondit: Quid me, inquit, interrogatis de“
 „Jesu, filio hominis? Ipse sedet in coelo a dextris summae virtutis,“
 „et venturus est in nubibus coeli. Quumque multi hoc Jacobi testi-“
 „monio confirmati glorificarent Jesum dicentes: Osanna filio David:“
 „tunc iidem Scribae et Pharisaei inter se collocuti: Male, inquit,“
 „fecimus, qui tanto testimonio Jesum ornaverimus. Verum ascenda-“
 „mus eumque praecipitem deiiciamus, ut ceteri conterriti fidem illi“
 „habere desinant. Conclamare deinde coeperunt ac dicere: O, o, ipse“
 „etiam Justus erravit. Et impleta sunt ea, quae apud Esaïam scripta“
 „sunt: *Tollamus e medio Justum, quia molestus est nobis: propterea*“
 „*fructum operum suorum manducabunt.* Conscendentes igitur eum“
 „praecipitem egerunt, dixeruntque inter se: Lapidemus Jacobum Justum.“
 „Et coeperunt lapidibus eum impetere, quia praecipitatus non statim“
 „mortem obierat, sed conversus flexis genibus orabat dicens: Domine“
 „et Deus pater, rogo, ut ignoscas illis, quia nesciunt, quid faciant.“
 „Quumque eum lapidibus obruerent, unus e Sacerdotibus, ex filiis“
 „Rechab filii Rechabim, qui Hieremiae suffragio commendati sunt,“
 „contenta voce: Parcite, inquit, quid facitis? Justus orat pro vobis.“
 „Interim unus ex iis fullo arrepto fuste, quo vestes exprimere solebat,“
 „caput Justi percussit. Atque ita martyrio vitam finiit. Sepultus est“
 „eodem in loco manetque adhuc cippus illius prope templum. Hic“
 „Jacobus et Judaeis et Graecis locuples fuit testis, Jesum vere Chri-

„stum fuisse. Et statim obsidio Vespasiani et Judaeorum captivitas“
 „subsecuta est.“

Haec igitur Hegesippus; in quibus dupliciter cum Josepho discrepare dicitur: et de tempore mortis Jacobi et de causa omnique conditione. De tempore, quo omne Josephi testimonii pondus contineri supra commemoravimus, postea dicemus, nunc breviter de causa videamus. In qua re omitto quaerere, num cum severitate Hegesippus omnes et singulas res ad summam veritatem exegerit nec ullum addiderit rerum ornatum sive ex se depromptum sive fama auditum, praesertim quum ad Hegesippum potius ea quaestio, quam ad Josephum pertineat; hoc dico, capita rerum a Josepho non dissentire, quae quidem sunt: Jacobum, fratrem Jesu, optimum virum et iustissimum, tumultuario iudicio damnatum a Judaeis lapidibus obrutum esse; eamque rem ipsorum Judaeorum et sacerdotum etiam probissimos improbasse et moleste tulisse. Hanc rerum summam, suum uterque consilium secutus, copiosius enarravit Hegesippus, brevius Josephus. Hegesippus quidem quia Jacobi vitam mortemque exponere eiusque facta ac martyrium celebrare sibi proposuerat, in supplicio Jacobi neglexit ea, quae ex civili sunt ratione, multus ac copiosus est in iis, quae fecerit, quae locutus, quae perpressus sit Jacobus. Non dixit ille, ab Anano summo pontifice contra ius quasi quoddam iudicium¹⁾ constitutum fuisse atque hoc iudicio damnatum esse hominem iustissimum; non dixit, pontificatum ob eam causam Anano abrogatum esse. At quae, antequam lapidationis supplicio traditus est, Judaei cum eo egissent quaeque ipse fecisset, copiose scripsit nec omisit adiungere id, quod verum esse ex eo apparet, quod ipsam lapidationem praetermittens hoc potissimum de mortis Jacobi ratione commemorat Clemens Alexandrinus²⁾, lapidibus non plane confectum deni-

¹⁾ Cf. Langen: Das jüdische Synedrium und die römische Prefuratur in Judäa. Tübinger Quartalschrift, Jahrg. 1862; p. 411—463.

²⁾ Clem. Alex. ap. Euseb. h. e. 2, 1. Δύο δὲ γεγονόσιν Ἰάκωβοι, εἷς ὁ δίκαιος, ὁ κατὰ τοῦ πτερυγίου βληθεὶς καὶ ὑπὸ κναφέως ξύλῳ πληγείς εἰς θάνατον, ἕτερος δὲ ὁ κκαρτομηθεὶς. Quae fides sit habenda Clementi, dixi in superiore scripto, p. 16.

que a fullone aliquo eum trucidatum esse. Contra Josephus totus est in civili ratione: qui quum non id ageret, ut de Jacobo quaedam narraret, sed id unum sequeretur, ut quare Anano pontifici munus abrogatum esset, memoriae proderet causam quidem conditionemque supplicii paucis verbis attingit: fautorem quendam ac fratrem Jesu, qui vocaretur Christus, Jacobum nomine, ab Anano pontifice in iudicium raptum esse legisque violatae accusatum et ad lapides condemnatum. Tacet Josephus Judaeorum actiones conatusque inanes; tacet id, quod non pontificis auctoritate consiliove sed quodam casu ac temere factum erat, ut Jacobus lapidibus non plane confectus denique a fullone aliquo fusti trucidaretur. Copiose vero de iniustitia iudicii loquitur, quam quidem valuisse dicit, cur Ananus pontifex munere privaretur. Quae quum ita sint, quid est, cur Hegesippus Josepho repugnare videatur? An vero, quia sunt nonnulla apud Hegesippum, quae accommodata illa quidem ad Hegesippi consilium, sed a Josephi consilio aliena Josephus non habet, ideo de Josephi potius testimonii fide et integritate quisquam addubitabit? praesertim quum reperiantur, qui ea per se ipsa minus credibilia putent. At quae habet Josephus, ea omnia et per se ipsa sunt probabilia et ab Hegesippo aut confirmantur aut non negantur. Dicit Josephus, temporis opportunitate usum Ananum pontificem, hominem ferocem ingenio et audacia praeter alios nobilitatum, Jacobum fratrem Jesu in iudicium vocasse legisque violatae accusatum damnatumque ad lapidationis supplicium dedidisse: certe non negat Hegesippus, qui Judaeos ait ira inflammatos, quod Jesu fautorum numerus Jacobi opera ac studio in dies auferetur, quum aliud quiddam frustra conati essent, denique inter se dixisse (ἔλεγον ἀλλήλοις) „Lapidibus obruamus Jacobum Justum“ h. e. tumultuario iudicio ad lapides Jacobum damnasse eumque lapidibus appetisse¹⁾.

¹⁾ (Nach Hegesippus' Bericht) . . . „stürzten sie ihn von der Tempelzinne herab,“
 „und steinigten ihn unten; als er, noch nicht todt, für seine Mörder betete,“
 „tödtete ihn ein Walker mit seinem Walkholze. Diese Angabe stimmt mit“
 „der des Josephus in so weit zusammen, als es in dem Jüdischen Gesetze“

Dicit porro Josephus moderatissimos quosque Judaeorum legisque studiosissimos eam rationem improbasse nec sibi temperasse, quin et apud regem Agrippam et apud procuratorem Romanum de Anano graviter conquererentur: non negat Hegesippus, qui inter supplicium unum ex ipsis sacerdotibus non sine facti reprehensione (τί ποιείτε; inquit,) deprecatum esse ait, ut vitae iustissimi viri pro inimicorum salute etiamtum orantis parceretur. Accedit autem, quod Hesippus non, ut fecit Josephus, Jacobi et *quorundum aliorum* supplicia una narratione complectitur, sed de unius Jacobi damnatione separatim dicit. Atque quia illos *quosdam alios* non simul cum Jacobo, sed ob similem quidem causam, verum aliquo tamen tempore interposito supplicium subisse nihil obstat quominus certo credamus: tantum abest, ut hi *quidam alii*, quos praeter Jacobum Josephus commemorat, non commemorat Hegesippus, discrepantiae Josephi cum Hegesippo suspicionem moveant, ut inde eo facilius id, quod idem ad consilium utriusque referendum esse supra significavimus, intelligatur, quare Josephus plura, quam Hegesippus de proborum Judaeorum indignatione commemoret. Nisi vero repetita vel eadem vel simili iniustitia et crudelitate pontificis iudicumque ab eo constitutorum et maiorem et plurium hominum iram atque indignationem excitatam esse mirabimur.¹⁾

„hieß, ein Schuldiger, der zur Steinigung verurtheilt, solle durch die Zeugen“
 „von einer Höhe herabgestürzt werden; wenn er noch lebe, sollten die Zeugen“
 „einen schweren Stein auf sein Herz werfen, und das umstehende Volk ihn“
 „mit Steinen vollends tödten. (Sanhedrin cap. 16 et 15.)“ Doellinger: *Christenthum und Kirche*. p. 107.

¹⁾ Non igitur inter se pugnant Josephus et Hegesippus, sed alter alterum complet et perficit; quorum duarum narrationum partes una inter se apta complectendi exemplum praeclarum suppeditat Eusebius h. e. 2, 23 init. — Nec alienum puto verbo saltem commemorare, haud dissimilem rationem intercedere inter ea, quae in sacris libris de Joannis Baptistae causa supplicioque tradita sunt, et ea, quae de eadem re habet Josephus Antqq. 18, 5, 2.

Ergo in causa universaque conditione mortis Jacobi nulla inter Josephum et Hegesippum tanta aut talis dissensio, ut de Josephi verbis addubitare nos cogat: videamus nunc de tempore, in quo finitius describendo gravissimum esse Josephi testimonium eiusque omne pondus positum saepe iam diximus. Quod si genuinum et fide dignum creditur, quum Jacobum a Judaeis lapidibus percussum extinctumque esse doceat tum, quum post Festi procuratoris mortem qui successor erat Albinus Roma profectus in Palaestinam tamen nondum advenerat, inquirendum erit, quo tempore Albinus procurator in Palaestinam pervenerit. Quod quamquam claris ac perspicuis verbis ab antiquis probatisque scriptoribus memoriae proditum non est, tamen ita potest definiri, ut ad ipsam veritatem proxime accedatur. Idem enim Flavius Josephus narrat¹⁾, bellum Judaicum gericoeptum duodecimo imperatoris Neronis et secundo Gessii Flori procuratoris anno, mense Maio. Quod quum Nero anno LIV et quidem a. d. III Id. Octobr.²⁾ imperator factus sit, sequitur, ut et mense Maio anni LXVI bellum exarserit et Gessius Florus, cuius procuratoris annus secundus tum nondum absolutus erat, aut initio anni LXV aut exeunte anno LXIV Judaeae administrationem susceperit. Eo igitur tempore Albinus, cuius in locum successit Gessius, magistratu abiit. Itaque quia Albinum certe per biennium munere functum esse ex iis, quae Josephus de eo narrat³⁾, intelligitur, minimum initio anni LXIII, quia autem per partem anni LXII Festus Judaeam administravit⁴⁾, summum medio circiter anno LXII Albinus procurator factus et Roma in Palaestinam profectus est. Et con-

1) Jos. Antiqq. 20, 11, 1. Καὶ δὴ τὴν ἀρχὴν ἔλαβεν ὁ πόλεμος δευτέρῳ μὲν ἔτει τῆς ἐπιτροπῆς Φλώρου, δωδεκάτῳ δὲ τῆς Νέρωνος ἀρχῆς. Bell. Jud. 2, 14, 4. καὶ προσελάμβανε τὴν ἀρχὴν ὁ πόλεμος δωδεκάτῳ μὲν ἔτει τῆς Νέρωνος ἡγεμονίας, ἑπτακαιδεκάτῳ δὲ τῆς Ἀγρίππα βασιλείας, Ἀρτεμισίου μηνός.

2) Hoc enim die vita excessit Claudius. Cf. Suet. Claud. 45. Dio Cass. 60, 34. coll. Tacit. Ann. 12, 69.

3) Antiqq. 20, 9. coll. Bell. Jud. 2, 14, 1.

4) Cf. Jost israelitische Geschichte II. lib. 6 cp. 9. p. 28 sq.

firmatur haec temporis computatio alio eiusdem Josephi loco¹⁾, ex quo Albinum quadriennio ante belli initium et septennio ante expugnationem urbis iam Judaeae procuratorem fuisse perspicimus.

Josephus igitur dicit Jacobum supplicium subisse exeunte fere anno LXII; videamus nunc de Hegesippo de eiusque a Josepho dissensione quaeramus. Crednerus enim et qui eius rationibus obsecutus est Gieselerus²⁾ abiecto Josephi testimonio in definiendo Jacobi mortis tempore Hegesippum duces sequentes scribentem statim (εὐθύς) Jacobi supplicium subsecutam esse Vespasiani oppugnationem, Jacobum mortem obisse statuunt anno LXIX; atque eo magis id statuendum existimant, quod et Eusebius scripserit h. e. 3, 11, famam esse, post Jacobi martyrium et continuo subsecutam Hierosolymorum expugnationem (μετὰ τὴν Ἰακώβου μαρτυρίαν καὶ τὴν αὐτίκα γενομένην ἄλωσιν τῆς Ἱερουσαλήμ) Symeonem episcopum electum esse, et Clementina³⁾, quae Petrum prius, quam Jacobum de vita decessisse docent, itemque Chronicon Paschale⁴⁾, quod Jacobum primo Vespasiani anno mortuum esse dicit, eam opinionem confirmant. At vero Clementina, qua sunt natura et auctoritate eae partes, quae ad hanc rem pertinent, nulla fide digna nec contra Josephum appellanda esse facile omnes concedent. De Eusebio autem et Chronico Paschali quid sit iudicandum; Valesius iam significavit, quum ad illa Eusebii verba (h. e. 3, 11) annotavit: „Haec Eusebii nar-“ „ratio non convenit cum iis, quae scripsit in Chronico⁵⁾. Nam in Chronico“ „quidem statim post Jacobi mortem Symeonem electum esse scribit anno Neronis“ „septimo. Hic vero post caedem Jacobi cessavisse episcopatum octo aut novem“ „circiter annis. Hanc tot annorum lacunam ut suppleret auctor Chronici Alexan-“

1) Bell. Jud. 6, 5, 3.

2) Gieseler: Lehrbuch der Kirchengeschichte I, 1, 125 sqq.

3) Clem. Epist. ad Jacob. ep. 1. ap. Cotel. Patt. App. I, 611., Schwegler: Homil. Clem. p. 10. De gest. Petri ep. 147. ap. Cotel. I, 798.

4) Chronicon Paschale ed. Lud. Dindorfius (Bonn.): I. p. 460.

5) Idem dicit Gieselerus.

„drini¹⁾ Jacobi mortem contulit in annum primum Vespasiani Augusti.“ — Haec Valesius; quae qui non prorsus incredibilia putaverit, ei non improbabiler suspi-
 cari videbor, Eusebium, qui in suo Chronico aliter et rectius scripserit, quum
 verba καὶ μετὰ τὴν αὐτίκα γενομένην ἄλωσιν τῆς Ἱερουσαλὴν scriberet, memoria
 Hegesippi verborum καὶ εὐθύς Οὐσπασιανὸς πολιορκεῖ τὴν Ἰουδαίαν per impru-
 dentiam deceptum et postea eum, qui illud Chronici Paschalis scripsit, aut his
 Eusebii verbis aut iisdem illis Hegesippi in errorem inductum esse. Quo probato
 sequitur, ut de uno Hegesippo nobis videndum sit, a quo illa Eusebii et Chronici
 Paschalis fluxerint. Atque de Hegesippo hoc unum quaerendum est, quomodo
 intelligamus vocabulum εὐθύς. Quod non ita valde a tempore premendum esse
 iam ex eo elucere dicit Schleyerus²⁾, quia id si fieret, ipso fere supplicii die
 oppugnatio coepta putaretur. Accedit autem, quod idem Schleyerus monuit, quod
 in annum LXIX Jacobi mors referri non potest, quia eo anno Christiani non Hiero-
 solymis sed Pellae habitabant. Immo iam πρὸ τοῦ πολέμου h. e. priusquam
 bellum, quod in Galilaea inflammatum est, ad Judaeam permanasset, Christianos
 Hierosolyma reliquisse Eusebius (h. e. 3, 5.) perspicuis verbis dicit. Christiano-
 rum autem ipsorum discessu vel fuga Jacobum, principem ac praefectum, si
 etiamtum vixisset, in urbe permansurum fuisse, quis credet? Ipse quidem idem
 Eusebius haud obscure censet aliquanto ante eam migrationem Jacobum supplicio
 affectum esse. Ex quo fit, ut vocabulum εὐθύς neque premendum sit ullo modo
 a tempore neque omnino simpliciter de tempore intelligendum. Itaque quoniam
 si fidem habemus Josepho, paucis tantum h. e. tribus quatuorve annis distant
 Jacobi supplicium et initium belli Judaici, si modo Hegesippus res quoque ipsas
 ita inter se aptas putaverit, ut illam huius causam, hanc illius eventum fuisse
 existimaret, facile quis concedet, vocabulum εὐθύς optimo iure potuisse ab He-
 gesippo poni, ut quae inter duas res intercederet et temporum et ipsarum rerum

¹⁾ h. e. Chronici Paschalis, quod olim Chronicon Alexandrinum appellabatur.

²⁾ Schleyer: Freiburger Zeitschrift für Theologie IV. p. 45.

ratio significaretur. Et docemur ab Eusebio¹⁾ communem bonorum Judaeorum eam fuisse opinionem, ut urbis oppugnationem excidiumque Judaeis idcirco accidisse arbitrarentur, quod Jacobum Justum nefarie necassent: ut minime mirum videatur, si idem Hegesippus genere Judaeus et Palaestinus et sensisse et significasse putabitur. Sed quid multa? quasi vero non ipse maxime perspicue dixerit Hegesippus, quid senserit, quidque sibi voluerit, quum statim a Vespasiano Judaeam oppugnatam esse scripserit. Nempe dixerat, Judaeos quum interficiendi Jacobi Justi consilium caperent, ad eventum perduxisse illud Isaiae: *Tollamus e medio Justum, quia molestus est nobis; propterea fructum operum suorum manducabunt.* Quod ut doceret, exposita ipsa nece, ut, quem fructum eius rei consecuti essent Judaei, intelligeretur, adiecit ad extremum, statim h. e. non multo post evenisse Vespasiani oppugnationem. Quamobrem, quoniam Hegesippus vocabulo εὐθύς usus nihil aliud videtur dicere, nisi hoc: vestigiis Judaeorum scelus ac flagitium poenam consecutam esse, nihil ex Hegesippi verbis contra Josephum concludi poterit.

His expositis, quam nihil ponderis insit in argumentis, quae undique

¹⁾ Euseb. h. e. 2, 23. οὕτω δὲ ἄρα θαυμάσιός τις ἦν καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἄπαν ἐπὶ δικαιοσύνη βεβήητο ὁ Ἰακώβος, ὡς καὶ τοὺς Ἰουδαίους ἐμφρονὰς δόξαζεν, ταύτην εἶναι τὴν αἰτίαν τῆς παραχρῆμα μετὰ τὸ μαρτύριον αὐτοῦ πολιορκίας τῆς Ἱερουσαλήμ, ἣν δι' οὐδὲν ἕτερον αὐτοῖς συμβῆναι, ἢ διὰ τὸ κατ' αὐτοῦ τολμηθὲν ἄγος. Ἀμέλει γέ τοι καὶ ὁ Ἰώσηπος οὐκ ἀπώκνησε καὶ τοῦτ' ἐγγράφως ἐπιμαρτύρασθαι, δι' ὧν φησι λέξεων: — sequuntur Josephi verba, quae in eius libris nunc non inveniuntur, de quibus supra dictum est — ταῦτα δὲ συμβέβηκεν Ἰουδαίους κατ' ἐκδίκησιν Ἰακώβου τοῦ δικαίου, ὃς ἦν ἀδελφός Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ. ἐπειδήπερ δικαιοτάτον αὐτὸν ὄντα οἱ Ἰουδαῖοι ἀπέκτειναν. In his verbis, quae ipsi Hegesippi testimonio adiunxit Eusebius, illud τῆς παραχρῆμα μετὰ τὸ μαρτύριον αὐτοῦ πολιορκίας ex Hegesippi verbis καὶ εὐθύς Οὐεσπασιανός πολιορκεῖ τὴν Ἰουδαίαν fluxisse quivis videt; quo magis etiam verisimile fit, ad eundem fontem referendum esse illud μετὰ τὴν Ἰακώβου μαρτυρίαν καὶ τὴν αὐτίκα γενομένην ἄλωσιν τῆς Ἱερουσαλήμ, de quo supra diximus.

collecta videmus ad loci nostri auctoritatem infringendam, satis puto intellectum esse. Quae res etsi per se ipsa nos cogit de fide uno omnium codicum consensu firmatae scripturae non addubitare, tamen pauca licebit adiungere, quo magis appareat, posse sane accidere, ut qui critica ratione christianae antiquitatis res tractantium speciem prae se ferant, tam incaute et imprudenter faciant, ut ad magnae illius artis criticae severitatem dignitatemque nec nati nec facti videantur. Nam qui ea, quae paulo ante dicta sunt, assensu suo comprobaverit statueritque Hegesippum, quoniam id potissimum egerit, ut Judaeorum calamitatem implicitam esse cum Jacobi supplicio et cohaerere tanquam digito monstraret, vocabulo εὐθύς usum non vetare narratam a se Jacobi necem in extremam partem anni LXII reiici, nae ille etiam si Josephus non dixisset Ἰζωβον καὶ τινὰς ἐτέρους, sed ut vult Crednerus, τινῶν, tamen facere non posset, quin illos τινῶν Jacobum et alios quosdam eiusdem generis homines interpretaretur atque Hegesippi narrationem ea, quae Josephus memoriae proderet, complere pleniusque unius ex illis *quibusdam* martyrium exponere intelligeret. Etenim ut statuamus parumper spuria esse ea verba, quae expunxit Crednerus: dicit tamen Josephus anno LXII a furiosis Sadducaeis eorumque principe Anano, summo pontifice, temporum opportunitate usis *quosdam* homines violatae legis accusatos capitisque damnatos esse invitae Judaeorum prudentissimis quibusque et legis peritissimis atque adeo quidem rem improbantibus, ut eorum indignatio et querelae denique Ananum pontificem munere expellerent. Quae contemplantes haec duo profecto cōgitatione assequemur. Primum enim illi *quidam* (τινῶν) non prorsus ignobiles omnique nominis fama et celebritate carentes homines fuerunt, quia ii si fuissent, nec eorum legis neglectio in tanta temporum caligine ac perturbatione omnium oculos in se convertisset constituendique iudicii ansam dedisset, quod iurene an iniuria constitueretur, dubium utique erat, nec eorum damnatio ne adversariis quidem Anani ac Sadducaeorum — nam partium quoque studia ad eam rem valuisse haud scio an recte suspiceris — satis honesta aut speciosa causa visa esset tantae indignationis tantarumque machinarum. Deinde illi *quidam* certe non scelera ac

flagitia perspicuis verbis lege vetita poenaque lapidationis cauta admiserant, sed haud dubie religionis praecepta tradebant, quae quum rabiosissimam Pharisaeorum partem offenderent, quia vulgari illius temporis, ut ita dicam, Judaismo non omnino convenire videbantur, tum vero Sadducaeorum et peculiaria decreta improbarent et iram odiumque excitarent; iidem autem vitae sanctitate et iustitia religiosissimaque ceremoniarum lege praescriptarum conservatione ita elucebant, ut Pharisaeorum pars ea, quae optime de patriae salute sentiebat legisque peritissima erat, h. e. probi honestique Pharisaei non infra se positum arbitrarentur, ab iis potissimum causam sumere non solum apud regem Agrippam sed etiam apud Romanum procuratorem de summo pontifice conquerendi. Tales igitur nobis cogitatione informandi sunt illi *quidam*. Repetentes autem memoria, qualis fuerit Hierosolymis medio primo post Christum natum saeculo rerum conditio, et ante oculos nobis ponentes diversa hominum genera, quae in ea urbe tum fuerint, profecto Christianos videmus aut solos aut maxime tales fuisse, quales illos *quosdam* Josephus descripsit. Christianos enim Hierosolymitanos ante excidium templi et urbis neque a ceterorum Judaeorum communione recessisse et quum omnis vitae sanctitate atque iustitia tum diligentissima pristinae religionis conservatione eluxisse, quis est, qui nesciat? Itaque eorum mores piis honestisque Judaeis admodum probatos fuisse et coniectura iam omnes perspicient et confirmatur honorifico illo cognomine Jacobi, eorum praefecti, quem constat Justum a Judaeis potissimum appellatum esse. Nec tamen odia hominum iis aberant. Nam qui hominem cruci affixum venerantur, multitudinis invidiam sibi conflabant; qui Jesum ex inferis in vitam redisse praedicarent, Sadducaeorum maxime iram et odium excitabant nullum omnino esse mortuorum in vitam reditum contententium. Ergo ex christianis sunt illi τινές aut omnes aut aliquot aut unus idemque eorum primarius; de quibus qui diligentius ac nominatim quaerere volet, is sponte de Jacobo Justo eiusque sociis cogitabit facillimeque sibi persuadebit, ad eandem rem pertinere et haec Josephi et illa quae de Jacobi Justi martyrio habeat Hege-sippus: qui quidem aperte dixerit, quae tacite significasse videatur Josephus, eo

tempore, quo Josephus narrat *quosdam* homines violatae legis a Judaeis Sadducaeorum potissimum consilio et opera damnatos esse, Jacobum Justum, quod multos Judaeos ad Christianam religionem traduxisset, eorum potissimum odium subisse, qui nullum vellent esse mortuorum in vitam reditum, ab iisque frustra pressum, ut ipse contra Jesum testimonium diceret, denique — et quidem non sine reprehensione bonorum virorum — supplicio affectum esse. Ex quo illud intelligitur, quod supra commemoravimus, etiamsi Josephus non nominatim Jacobum appellasset, tamen eum potissimum in illorum *quorundam* numero ponendum fore. Manet igitur Flaviani testimonii in Jacobi mortis tempore definiendo pondus ac momentum, sive positum est a Josepho nomen Jacobi, sive non positum est. Quamquam qui potest credibile esse, Josephum quem alibi, quum res ipsas commemoraret, haud pareum videamus in hominum nominibus et causis declarandis, illorum tamen *quorundam* nomina et causas, quae obscura non fuisse supra diximus, non declarasse. Non est profecto, non est credibile. Ergo declaravit et declaravit satis et ad rei consilii rationem convenientissime eo additamento, quod expungi voluerunt critici haud sane prudentes, τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτοῦ, καὶ ἑτέροις: quibus verbis quum dictum videatur, Jacobum et quosdam alios eiusdem generis homines, quod Jesu, qui vocaretur Christus, sectatores essent, iudicio arcessitos esse, apta et perspicua brevitate et principis nomen et universa causa indicata sunt. Tantum igitur abest, ut haec verba expelli debeant, ut si abessent, magnopere ea desiderares aegreque iis careres.

